

DISSERTATIO MEDICA IN AVGVRALIS

DE

# ATTRAHENTIBVS

QVAM

ANNVENTE DIVINO NVMINE.

P R A E S I D E

# GEORGIO ERHARDO HAMBERGERO

PHILOS. ET MED. DOCTORE PHYSICES CHIMIAE  
ET PRAXEOS PROF. P. ORDIN. SERENISSIMORVM SAXON.

DVCVM STIRPIS ERNESTINAE CONSIL. AVLICO

ACAD. NATVRAE CVRIOSORVM SODALI  
MEDICO PROVINC. IENENSI

P R O

## GRAD V DOCTORIS

MORE MAIORVM LEGITIME OBTINENDO

DIE XIX. APRILIS AN. MDCCXLIX.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SUBMITTIT

A V C T O R

## IOH. CHRISTIANVS GRAFF


LENDERSHVSA FRANCVS.

I EN AE

LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.

17

6297



I. N. I.

§. 1

VITÆM humanam in vna vel altera parte rubrām reddi posse, idque per artem, quando et ubique libuerit, experientia docet quoridiana. Ruborem a sanguine dependere, adeoque sanguinis affluxum versis partem nostri corporis maiorem fieri, dum ista rubefit, nemo negat. Cum igitur veteres causam internam huius motus, determinate versus vnam partem tantum aucti, haud perspicerent, magneticam quandam virtutem corporibus applicatis, relatiue ad sanguinem, inesse crediderunt, vnde ipsum phaenomenon, affluxum nempe maiorem fluidorum versus eum locum, cui pro effectu desiderato obtinendo, alia corpora applicabantur, generatim attractionem, ipsa vero medicamenta generatim attrahentia nominarunt.

Si medicamenta vel remedia applicata nil nisi rubor et ardor, interdum cum aliquali tumore, sequiebatur, ipsa quidem applicatarubefacientia nominabantur, phaenomenon non vero ipsum phoenigmus vel siapisinus dicebatur, quia vete-

A 2

vete-

PHENOMENA IN HUMANIS.

ORATIONES.

DE AERIS ET VENTIS.

DE VITÆM HUMANÆ.

DE VITÆM HUMANÆ.

EXPLANATIO PHENOMENON.

veteres semen sinapi ea intentione frequentissime adhibuerunt: Si pars non rubra solum euadefat, sed et cuticula a cute secedebat, sub cuticula lympha extraerasata colligebatur, ipsaque sic cuticula a cute separata vesiculam turgidam referebat, medicamenta, quorum applicatione talis vesica cuticulae sequebatur, sub generali attrahentium quidem nomine comprehendebant, speciali tamen vesicantium nomine a reliquis distinguebant.

### §. 3.

Haec tam de attrahentibus generatim, quam speciatim de rubefacientibus et vesicantibus doctrina cum nobis sit proposita, ut eandem in hoc nostro specimine inaugurali, ex veris tam physicis quam physiologicis et anatomicis principiis paulo fusiis explicemus, eo ordine eandem commode exponi posse nobis visum est, quo primitus ipsa rubefacientia historice enumerantur, dein applicationis modi recensentur, modus eorum agendi tam generalis quam specialis exponitur, tandemque effectus in corpore humano subsequentes explicantur. Hunc laborem ut summum Numen benignissime secundet, Lector benevolus vero amice suscipiat, pie optamus.

### §. 4.

Inter attrahentia, speciatim rubefacientia, referuntur, pannus, excutiae, amianthus, calor, frigus, acetum, cucurbitulae, herbae ranunculi aquatici, flamulæ iouis, cepæ, vrticæ, radices pyrethri, allii, ari, semen sinapi, fructus capsici, euphorbium, fermentum panis etc. Tanquam vesicatorium vero vnice fere hodie cantharides sunt in vsu, quamquam etiam ignis actualis,

paulo

paulo maiori quam ad ruborem requiritur gradu applicatus, cuticulam in vesicam eleuare potest.

### §. 5.

Pannus itemque excutiae atque amianthus nunquam ruborem cuti conciliabunt, nisi cutis iisdem fricitur, et variabit rubedinis productae gradus, prout frictio instituitur mitis vel vehemens, breuis vel per aliquot temporis minuta continua. Calor quidem quicunque maior, modo partem, cui applicatur, non momentanee fere ad necrosin usque destruat, rubram reddit cutem, si tamen nil nisi rubedo desideratur, pars rubefacienda flammae mithori vel ferro carenti in tali admouetur distantia, ut ardoris sensus oriatur, qui per unum alterumque temporis minutum tolerari potest.

### §. 6.

Frigus quidem nunquam tanquam rubefaciens a medico commendatur, experientia tamen docet, non nam solum et aures externas, sed et buccas ab aere ventoso frigido rubefieri. Immo digitæ et manus, præcipue puerorum, rubefiunt, dum niuem aliquoties in pilas comprimunt.

### §. 7.

Acetum ordinarie quidem cum aliquali, vel digitis saltim instituta, frictione adhibetur; ast etiam per se ruborem excitat, si cum linteaminibus tanquam epithema applicetur.

### §. 8.

Si cucurbitulis ruborem excitare placeat, vel parua candela cerca chartæ spissæ minori adglutinatur eaque accensa cuti imponitur, et cucurbitula tegitur,

A 3

tur, sic breui tempore flamma extinguitur; et etiuncibitula fortiter cuti adhaeret; vel ipsa cucurbitula prius tanto, ope candelae, calesit gradu, ut chirurgus eam manibus absque incommodo vterius sustinere nequeat, et sic calida cito cuti applicatur; vel etiam, si maiores sint cucurbitulae, superius canali et valvula praeditae, quae ventosae appellantur, aer sugendo ex ventosa, cuti jam firmiter adpressa, aufertur. Immo sola suctione ore facta cutis rubra reddi potest, id quod tunc potissimum fieri solet, si pars nostri corporis minor, v. g. digitus, cui cucurbitulae applicari nequeunt, sit rubefacienda.

### §. 9.

Herbae ranunculi aquatichi, flammulae iouis, ceppae, vrticæ itemque radices pyrethri, allii, ari, plerumque contusæ, tanquam cataplasma applicantur, herba vrticæ vero interdum etiam cutis fustigatur, et ex pyrethri radice vel infusum, vel decoctum cum aqua, vel essentia paratur, et haec fluida cum linteaminibus, sub epithematis forma, adhibentur.

### §. 10.

Sinapi semen, fructus capsici, itemque euphorbium, (sive gummi resinostum aridum et acerrimum istud corpus, quod ex Africa ad nos defertur, et ex planta, in nostris etiam regionibus sub euphorbii nomine cognita, desumutum esse fertur, quamquam nostris colligendi vel præparandi modus plane sit incognitus) tanquam sicca corpora sibi relicta applicata rubedinem producere nequeunt, nisi forsitan, post diuturnam applicationem, ab humido nostri corporis ex parte soluantur; ideo, vt cito operentur, aliis humidis

corpo-

corporibus commiscentur, id quod diuerso quidem fieri potest modo, ordinarie tamen fermento commixta adhibentur. Quamquam enim fermentum etiam sibi relictum ruborem in cute excitet, citius tamen operatur, si dictis acrioribus roboratur. In emplastris quoque quidam euphorbium adhibent.

### §. 11.

Cantharides, qui germanice *spanische Fliegen* appellantur, quamuis hodie in nostris quoque regionibus, præsertim ex ligusto florente, collecti adhibentur, et omnem, quam medici desiderant, exhibent virtutem, sunt scarabaei graciles, longitudinis sex vel septem linearum, latitudinis vero unius lineae cum dimidia circiter, coloris ex aureo viridescentis, odoris foetidi et saporis acerrimi caustici. Moriuntur in vase cumulatum collecti per se, vel etiam aceti vapore necantur, et sic per unum alterumque annum, salua manente eorum virtute, conseruantur. Sequentibus annis, ut plurimum in puluerem sponte resoluuntur, alis tamen integris manentibus, et tunc eorum vis caustica abest.

### §. 12.

Perinde est sive capita, sive corpora, sive aliae pro usu sumantur medicis, vnde, hodie tota eorum corpora adhibentur, ita quidem, ut vel fermentum, vel theriaca, vel emplastrum diachylon paucis granis cantharidum puluerisatorum conspergatur, et superficies conspersa cuti applicetur; vel miscetur pulvis cantharidum cum emplastro quodam et pro usu conseruatetur.

Plurimi emplastris de spermate ranarum vel dia-

diachylon simplicis vnciae dimidiae miscent pulueris cantharidum vel grana XV., vel drachmam dimidiam, vel drachmam vnam. Istud emplastrum, quod minimam cantharidum dosin continet, infantibus adplicant, alterum pro vsu ordinario adhibent, maximam vero dosin tunc tantum in vsu vocant, quando subiectis pituitosis, vel robustis, vesicatoria sunt adplicanda, vel quando, post adplicationem emplastri, cum media cantharidum dosi, nulla oritur vesica. Plerumque locus vbi tale emplastrum aplicatur, panno, aceto humectato, prius ad rubedinem fricatur.

## §. 14.

Alii emplastra vesicantia sequenti componunt modo. Miscent nempe vel picis albae, cerae vitrinae et terebinthinae ana ʒij. cum pulueris cantharidum ʒij, vel fermenti acerrimi spissioris ʒij, aceti scillit. ʒij, pulpae recentis scillae ʒs, pulueris cantharidum ʒv. et camphorae in s. q. spiritus vini solutae ʒs. omnibus que mixtis addunt pulueris subtilissimi mastichis et myrrae ana ʒs. atque terebinthinae clarae et cerae ana ʒs.

## §. 15.

Quamquam vero in diuersis hisce compositionibus insigniter proportio inter puluerem cantharidum et reliqua emplastrum ingredientia variet, vix varius erit emplastrorum effectus ratione separationis cuticulae, i. e. quatenus sunt vesicantia, quia in emplastro secundo maior cantharidum dosis non solvit, pice pariter ac cera penetrationem humidi pro solutione cantharidum impedientibus; in tertio vero emplastro

plastro actiuitas cantharidum, minori quantitate commixtorum, per reliqua acria rubefacientia iuncta iuatur et augetur.

## §. 16.

Emplastrum vesicatorium per 4. 6. 7. vel 8. horas in loco conseruatur adplicationis, quo tempore primis horis aeger sensum ardoris, facile tolerabilem, percipit, ultimis vero vesica eleuatur, quae, nisi chirurgo redeunte iam rupta sit, vel, dum emplastrum remouetur, rumpatur, forifice in loco superiore aperitur, et lympha, cuius quantitas raro vnciam vnam excedit, lente exprimitur, et vel linteamen siccum aliquoties complicatum, vel brassicae, plantaginis, hederae arboreae vel tusfilaginis folium, vel, quando cutis nuda apparet, oleum lini, butyrum insulsum, vel emplastrum quoddam saturninum pro exsiccatione, imponitur. Prioribus modis vesica per aliquot dies integra conseruari potest, quo facto noua quotidie lympha, minori tamen quantitate, colligitur, bis de die exprimenda.

## §. 17.

Pro explicando attractionis phaenomeno minime necesse est ut corporibus rubefacientibus vel vesicantibus vim attractiuan, seu magneticam relatiue ad nostros humores, tribuamus, talis enim nunquam probari poterit. Nec nostra fluida tanquam quiescentia sunt consideranda, quae per talem vim magnetica ad motum essent concitanda: tendunt potius constanter versus superficiem nostri corporis, quia interius a corde et arteriis fortiter premuntur. Nil igitur ad affluxum maiorem humorum versus quandam cutis

B

partem

partem obtinendum requiritur, quam ut vel resistentia in uno loco imminuat, vel vis fluidorum non quidem in se augeatur, magis tamen versus paries vasorum cutis determinetur, vel ut vis ipsa fluidorum, in vasis cutis actu haerentium, augeatur, vel ut quedam horum simul fiant.

## §. 18.

Rubefacientia et vesicantia non quidem in adiunctis generalioribus fiendi modis, ast in gradu tamen, quo vis vel augetur, vel resistentia imminuitur, inter se differunt. In rubefacientibus enim mutatione virium, fluidorum et vasculorum, oppositarum major esse non debet, quam ut vascula serosa et lymphatica eousque dilatentur, ut sanguinis globulos admittant, in quo tota rubedinis, itemque tumoris, si quis sensibilis iunctus sit, consistit caufsa, nunquam vero rumpantur; cum vesicantia tam extremonrum vasculorum quam istarum fibrillarum inducant ruptionem, quibus cuticula cum subiacente cute connectitur.

## §. 19.

Resistentia vasculorum duplici, immo triplici, imminuitur modo, dum nempe eorum, vel etiam incombentis cuticulae, fibrae, quibus robur vasculorum fulcitur, minorem acquirunt cohaesionem, vel plane rumpuntur, vel aëris externi compressio minor redditur. Aequalis enim aëris pressio versus omnem nostri corporis superficiem, tanquam supplementum roboris omnium nostri corporis vasorum, tam maximorum quam minimorum, considerari debet, ut intumescencia animalium, sub antlia pneumatica morientium, probat;

bat; cum enim per aëris externi remotionem nulla vis interna augeatur, nunquam intumescent animalia, si sola cohaesio vasorum viribus fluidorum internis, versus exteriora tendentibus, resistere posset.

## §. 20.

Cohaesio vasculorum duplici rursus imminuitur modo, aut enim fit penetratione particularum, fluidorum specifice leuiorum, inter partes fibrarum sece contingentes, aut harum puncta contactus minuendo per extensionem, ope vis externae.

## §. 21.

Ruptionem vasculorum minimorum aequem quidem per vim externam extendentem ac per tantam particularum minimarum alicuius fluidi, inter partes fibrae sece contingentes, penetrationem, ut contactus vel totus tollatur, vel saltim ab isto conatu fibrarum nostri corporis, quo semper sece contrahere conantur, tolliqueat, fieri posse, facile perspicere licet. Num vero avis quedam extendens ita determinate nostrae cuti applicari queat, ut nulla alia vascula, nullaeque aliae fibrae rumpantur, quam quae cutem cuticulae connectunt, merito dubitari potest. Hactenus minimum experientia talem modum determinandi vires solidorum externas haud docuit. Unicus ergo modus actualis dicta vascula et dictas fibras disrupti, in penetratione particularum subtilissimarum alicuius fluidi consistit.

## §. 22.

Aëris externi compressio imminuta (§. 19.) suetione, vel ore vel cucurbitulis facta, in una vel altera nostrae cutis parte obtinetur. Determinatio vero impetus fluidorum maior quam in statu naturali, (§. 17.) versus

versus parietes vasculorum, horum extremorum obstruc-  
tione fieri potest.

## §. 23.

Impetus fluidorum, in ipsis vasis cutaneis haer-  
rentium, ad dilatanda vasa aliis esse non potest, quam  
pressio eorundem a corde et arteriis maioribus, atque  
elasticitas ab aere commixto. Illa nullo modo versus  
vnam partem tantum actu augeri potest, quia in totam  
fit massam sanguineam; Ergo augmentum impetus  
fluidorum in vasis cutis haerentium, versus ista vasa,  
vnice in elateris aeris commixti augmentatione consistit. Ex  
physicis igitur cum constet, augmentum elateris aeris  
non, nisi vel compressionis vel caloris eiusdem augmento,  
fieri posse, compressio vero externa aeris maior ideo hic,  
pro rubidine nempe, i. e. vasorum expansione maiore ob-  
tinenda, locum non habeat, quia partim vasa simul com-  
primuntur, partim sanguis tunc potius retro pellitur,  
itemque in venas propellitur, adeoque sanguis reuera non  
comprimitur, et quia experientia docet, sanguinem, adeo-  
que etiam aerem sanguini commixtum, per vim externam  
comprimi haud posse, ideo augmentum elasticitatis,  
pro scopo nostro, vnice per caloris auationem obtainen-  
dum erit.

## §. 24.

Videmus quidem, si quaedam nostrae cutis pars  
per obiectum durum aliquandiu comprimatur, ean-  
dem, remoto comprimente externo, rubefieri. Ast du-  
rante tamen compressione non rubefit, ergo rubor non  
est ab elasticitate sanguinis compressi, sed a debilitate va-  
sorum per compressionem externam extensorum. Talis  
vero extensio ab aere aequaliter comprimente fieri nequit.

## §. 25.

## §. 25.

Expositis iam modis generalioribus quibus sic dicta  
attractio fieri potest, eosdem vt ad corpora rubefaci-  
entia speciatim adplicemus restat.

## §. 26.

Pannus, excutia atque amianthus, sunt corpora  
satis dura atque aspera: quodsi igitur nostrae cuti ad-  
primuntur, quasdam fibras magis premunt, alias minus.  
Haec pressio fibrarum inaequalis iam extensionem  
fibrarum magis pressarum infert, augetur vero dicta  
extensio, si haec corpora solida adpressa iuxta cutem  
moueantur: sic enim omni momento aliae fibrae pre-  
muntur et extenduntur, ita vt, per frictionem continua-  
tam, omnes tandem in loco frictionis reperiundae fibrae  
extendantur adeoque debilitentur.

## §. 27.

Haec debilitas si vel maxime ad cuticulam tantum  
sepe extenderet, tamen vasa subiacentia, ob robur exter-  
num imminutum, debilitarentur. Sed partim pressio  
paulo maior, cui cuticula sola, nisi dum cedit et in sub-  
iacentes partes agit, resistere nequit, partim sulci cuti-  
culae et cutis haud permitunt, vt solae cuticulae fibrae  
tendantur et debilitentur, sed idem in ipsis quoque fibris et  
vasis cutis fieri debet. Si igitur tam debili fiat gradu, vt  
nulla fibra manifeste rumpatur, minus tantum naturali  
impetu fluidorum vascula resistent, ergo magis expan-  
duntur. Hoc si fiat eo gradu, vt lymphatica primitus  
serum dein sanguinem, vel serosa tantum sanguinem  
admittant, cutis rubefiet; minori tamen gradu in vi-  
timo casu quam in primo.

B 3

## §. 28.

## §. 28.

Herbae rantunculi aquatichi, flammulae iouis, cepae, radices pyrethri, allii, ari, semen sinapi, fructus capsici, euphorbium, acetum et fermentum panis, fale quodam acri subtili fermentato, siue alcalico siue acido, gaudent. Haec salia vel acta iam soluta, vel per ipsas ex nostro corpore exhalantes partes lymphaticas soluta, inter fibras subtilissimas tam cuticulae quam cutis et vasculorum eiusdem penetrant. Minimo gradu quounque agunt, irritant vascula extrema; haec igitur sese constringunt; fit ergo obstructio, vnde impetus fluidorum versus parietes eorum magis determinatur. (§. 22.) Paulo maiori gradu, non tamen tanto ut manifesta fiat fibrarum solutio, si inter partes penetrent fibrarum, cohaesio harum minor redditur, et ex utraque causa vascula non sanguinea extenduntur, usque dum sanguinem admittunt et transmittunt.

## §. 29.

Determinatio gradus actiuitatis horum rubefacientium a diversis dependet causis. Partim enim determinata naturalis horum salium magnitudo atque saturatio siue concentratio, partim tempus quo applicata manent, partim robur fibrarum cutis et cuticulae naturale, partim etiam maior nostrorum fluidorum affluxus, quo salia magis diluuntur atque a fibris quibus adhaerent separantur, penetrationem et effectum penetrationis non nisi determinatum admittunt, quae tamen, quatenus adductis corporibus insunt, non nisi a posteriori cognita sunt.

## §. 30.

## §. 30.

Vrticae stuccus, si ruboris producendi causa adhibetur, eodem plane modo, ac reliqua modo dicta vegetabilia, agit. Forsitan alcalica, ex dictis vegetabilibus, fluidorum in vasculis cutis haerentium cohaesionem minuant, et sic efficiunt, vt aer inclusus sese expandat, vnde et hoc modo dilatationem vasorum efficiunt. Quodsi vero fustigatione vrticae adlicantur, acutis suis spiculis fibras diuidendo, cohaesionem earundem minuant.

## §. 31.

Ignis diverso agit modo quando cutesi rubram reddit; nam eo, quem spho 5 exposuitatis, i gradu applicatus, primo exsiccando stringit cuticulam et vascula excretoria, per eam transeuntia, extrema, et sic, obstructionem excitando, determinat fluidorum actionem versus vasorum parietes; dein sub cuticula haerentia vascula emollit, quia tanquam leuius corpus particulis grauioribus interponitur, humidum vero dissipare nequit, et sic, resistentiam imminuendo, ad ruborem concurrit; fluidorum quoque cohaesionem simili modo minuit, vnde fluida, in vasis haerentia, ab aere contento expanduntur; et tandem ipsius aeris contenti elasticitatem auget, quo vis quoque expandens crescit.

## §. 32.

Frigus vnice, auferendo partes igneas, quae tam solidis quam fluidis cutis particulis minorem dabant cohaesione gradum, iisdem particulis maiorem dat cohaesione gradum, quia, ablatis igneis, grauiores fibrarum partes sese proxime contingunt, vnde solidae magis se

con-

contrahunt vasaque extrema arctant, fluidae vero magis inter se et cum parietibus cohaerent; i. e. fit obstructio, qua impetus fluidorum versus parietes vasorum magis determinatur.

### §. 33.

Minime quidem haec determinatio maior actionis fluidorum in vasorum parietes apta in hoc casu videtur ad ruborem cuti conciliandum, quia resistentia quoque vasorum simul crescit. Sed non sufficit, ad impedientiam vasorum subsequentem expansionem, ut resistentia vasorum simul cum impetu in parietes, ab intra fiente, crescat, sed aequali gradu ut crescant necesse est, si nulla sequi debeat dilatatio. Quodsi vero fibrae resistentes sint mollioris consistentiae, ex multis humidis conflatae particulis, nisi frigus tantum sit, ut in glaciem humidae abeant partes, parum rigiditas fibrarum ex frigore crescere potest. Si in eodem corpore maior sit cordis et arteriarum actio quam resistentia fibrarum extremarum, tanto facilius fieri poterit ut vasā extendantur, quamvis fibrae magis rigidae sint factae.

### §. 34.

Omnis hae conditiones in corporibus infantilibus atque puerilibus concurrunt, vnde etiam est, quod cutis rubedo ex frigore facile quidem in iisdem, tardius vero in adultioribus obseruatur. Utque magis res pateat, sciendum est, quam primum obstructio in extremitis vasculis est facta, statim determinationem maiorem actionis fluidorum fieri in omnium vasorum cutis parietes, minime vero aequa momentanee frigus quoque ad internas cutis partes peruenire, i. e. calorem ex iisdem

abire

abire. In interna ergo vasa maior quidem, in initio frigoris, fit impetus fluidorum, nulla tamen tunc adhuc adeat vasorum rigiditas ex frigore, ergo expanduntur dicta vasa, sanguinem serosa admittunt, cutis rubefit, vnde maior in iisdem est calor quam in statu naturali, maiorque fluidorum impetus ad vasa dilatanda. Quamuis igitur frigus dein externum accedat, calor tamen maior non ita minui potest ac minor. Tam ex hac ergo ratione quam ex fluidorum impetu in parietes aucto, tanta minimum constrictio fieri nequit ut cum vasa adhuc essent in statu naturali, i. e. in initio frigoris admissi. Manent igitur minimum haec vasa sanguine repleta, nisi et lymphatica successive expandantur et sanguinem admittant, id quod, ob teneritudinem vasorum, in ista praecipue aetate, et nouam stasis in vasis serosis, nisi frigoris externi gradus nimius sit, facile fieri potest.

### §. 35.

Cucurbitulae applicatae dupli, interdum forstian triplici agunt modo. Nam, ob aërem sub cucurbitula haerentem rarefactum, adeoque minus elasticum, resistentia in isto minuitur loco, ergo naturalis fluidorum vis, tam quatenus a cordis impetu quam quatenus ab aëris inclusi elatere pendet, vasā magis expandit (§. 19.). Insuper, quatenus cucurbitula ab aëre incumbente cuti fortiter adprimitur, tam ista vasa, quae ab oris cucurbitulae proxime comprimuntur, (§. 8.) quamquae sub cauo cucurbitulae haerent, extenduntur adeoque debilitantur. Remota ergo cucurbitula momentanea sanguis in vasa, siue serosa siue lymphatica, debitata penetrat, et cutis rubefit.

C

### §. 36.

## §. 36.

Si cucurbitula in eodem non relinquatur loco, vti ordinarie fieri solet, nisi scarificationis causa cucurbitula adplicetur, hoc motu cucurbitulae, fortiter cuti appresae, non solum plura vasa, sed et ea quae extenduntur, majori extenduntur gradu, vnde maior quoque vasorum et plurium vasorum sequitur debilitas.

## §. 37.

Combinantur interdum acria rubefacientia cum viribus externis extendentibus vel rumpentibus, vti in dropacismo seu picatione fit, vbi ex pice et aliis acribus fiunt emplastra, quae a cute, cui firmiter adhaerent, subitanee et magna vi remouentur. Quia vero non nisi casu fere effectus salutaris obtinetur, plerumque vero maius damnum inducit, semperque insignis excitatatur dolor, hodie dropaces a prudentibus medicis nunquam adhibentur, ideoque nec plura de hisce dicemus.

## §. 38.

Vesicatoriorum seu cantharidum, cum emplastris vel cataplasmate applicatorum, agendi modus sequens erit. Prima actio, quam cataplasma vel emplastrum qua talia exercent, est vasculorum cutis excretoriorum obstipatio, qua impetus fluidorum, a corde et arteriis motorum, versus parietes, magis quam in statu naturali, determinatur, ipsaque cutis vascula magis extenduntur, et vel hoc tantum modo cutis rubescit, id quod omnium fere emplastrorum applicatio a posteriori confirmat.

## §. 39.

Humidum, dicta vasculorum obstipatione retentum, partim vascula cutis emollit, vnde extensio augetur,

tur, partim sal cantharidum soluit, quod solutum in cuticulam quidem agit, sed etiam in vasa cutis excretoria penetrat. Irritando haec vascula ardoris primitus producit sensum, continuante vero et incremente salium actione, ob noua salia acria cantharidum soluta, penetrant haec inter partes, vnde dicta vascula, minime vero vel raro saltim cuticula simul resoluuntur. Determinatus huius resolutionis gradus, partim ex diuerso cuticulae et dictorum vasculorum robore, partim ex gradu saturationis nostrorum fluidorum per dicta salia, deriuandus est; hic vero a subtilitate et copia salium, itemque a modificatione solutionis salium per reliqua corpora cantharidibus commixta, pendet.

## §. 40.

Vasculis excretoriis, cutem nempe cum cuticula connectentibus, resolutis, ipsa fluida, in dictis vasculis contenta, secundum leges adhaisionis, vti alia fluida in vasa capillaria vel in corpora porosa, per vulnuscula vasculorum excretoriorum inter cutem et cuticulam penetrant, alia vascula nondum resoluta, quae iam ab extra quoque contingunt, tanto facilius resoluunt, cum iam salia in cauo eorundem haerentia in eadem quoque agant. Simili modo reliquae fibrae cutim cum cuticula connectentes, penetratione horum salium ab extra accedentium, itemque mucus viscidus, in corpore reticulari haerens et cutem cum cuticula connectens, resoluitur, vnde omnis cuticulae cum cute cohaesio, in toto isto loco cui cantharides sunt applicati, tollitur. Affluxus igitur humili cum continuet, effluxus vero sit impeditus, cuticula non solum a cute separatur, sed et in vesiculam eleuatur, et lympha in vesicula colligitur.

## §. 41.

## §. 41.

## §. 41.

Ex vesicantium iam exposito agendi modo quilibet perspicit, nos salibus cantharidum aliam non trahere potentiam, quam quod vascula, fibras et glutinosum mucum, cuticulam cum cute connectentia, resolvant, ipsam vero cuticulae elevationem et humorum collectionem in vesicula, non tanquam cantharidum sed tanquam fluidorum ex vi vitae motorum actionem considerare. Id quod experientia quoque a posteriori confirmat; in agonizantibus enim, itemque in mortuis, cuticula quidem a cute per vesicantia applicata separatur; nunquam vero vesicula quaedam oritur.

## §. 42.

Haec cuticulam in vesiculam elevandi in agonizantibus impotentia, aut a vi vitae fere prostrata, aut ab obstructione vasculorum cutis, per materiam quamdam adeo tenacem, ut a vesicantibus resolu nequeat, pendet; Quicquid horum sit, si ad vesicantium in aegrotis applicationem nulla sequatur vesica, graue semper indicat periculum, vniuersalis enim vasculorum cutis obstructio a viscido tali, quod ne per talia quidem acria, quae solidas partes resoluunt, solui queat, aequa fere sanguinis circulum adeoque vitam tollere potest, ac vires vitales ad eum usque gradum destructae, ut cuticulam separatam eleuare nequeant.

## §. 43.

Ignem quoque supra (§. 4.) inter vesicantia retulimus, quamquam a medico ea intentione, ut vesicam excitet, nunquam adhibeat. Ignem cohaesione partium corporum solidorum tollere posse, idque ob-

suarum

suarum partium subtilitatem fieri, partim per experientiam, partim ex physicis, abunde notum est. Gradus tantum ignis obseruandus est, qui tantus esse debet, ut vascula et fibras quidem, cutem cum cuticula connectentia, non vero ipsam cuticulam destruat. Hic determinatus ignis gradus frequenter quidem casu obtinetur, quamquam corpora calida cutim contingentia in se et ratione caloris insigniter varient, vix tamen magis determinate, pro obtainenda vesica applicari poterit, quam sub forma aquae ebullientis, ad momentum fere tantum cutem contingentis. Tali aqua, sed diutius applicata, cuticula a cute mortuorum, absque vesica tamen, facile separatur.

## §. 44.

Mirum videri posset lympham sub cuticula colligi, cum tamen vascula, per quae in statu sano transiit, sint disrupta, videtur enim lympham per eadem orificia vasculorum disruptorum, in cuticula separata adhuc praesentia, ex adhaesione transfire debere, per quos in statu sano fluxit; ast facile perspicitur fibras vasculorum disruptorum, sese ex elatere contrahentes, orificiis vasculorum in cuticula haerentium applicari, et applicatas valvularum officium exhibere.

## §. 45.

Diversae sunt medicorum intentiones, ob quas aegrotis rubefacientia itemque vesicantia applicare solent. Modo enim materiam in cutis vasculis, vel etiam magis profunde, stagnantem euocare, modo humores, praecipue nutrientes et spiritus, versus quandam partem deriuare, modo motum nimium fluidorum versus quan-

C 3

dam

dam partem nobilem intercipere vel reuellere, modo spirituum motum maiorem excitare per dicta attrahentia conantur.

## §. 46.

Si materia iners in cutis vasis stagnet, vel saltim lento suo motu perspirationem impedit insensibilem, rubefacientia, et inter haec potissimum frictio atque cucurbitulae, intentioni medici euocandi et perspiracionem liberiorem restituendi abunde satisfacent. Materia enim stagnans aut resoluitur, id quod per acria rubefacientia fit, vel vi propellitur, id quod frictiones et cucurbitulae praestant; utraque extendunt vasa atque debilitant, vt etiam crassiorem materiam, quam in statu naturali, et, sequenti tempore, humidum aptum maiori transmittant copia. Maior erit fluidorum eductio si pars prius scarificetur.

## §. 47.

Minime tamen suaderem vt quis materiam, in visceribus internis stagnantem, vel tantum profunde sub cute haerentem, attrahentibus euocare velit, aut enim nihil efficiet, aut maiorem inferet noxam. Ex pulmonibus enim hepate, abdomine vel renibus per attrahentia aliquid euocari posse quis crederet, si considerat, nullas dari ex hisce visceribus vel cavitatibus ad cutem vias, et paruum esse gradum quo resistentia per attrahentia imminuitur. In inflammationibus vero partium, haud profunde sub cute haerentium, v. g. periostii, minus commodus quoque aut tutus attrahentium est vsus, quia etiam in hoc casu non dantur vasa, quibus materia e periostio ad cutem euocari potest, et, si talia adessent vasa, quis impedire posset, quo minus acris attrahentium

tum

tum materia ad locum penetraret inflammationis, et hanc grauiorem redderet.

## §. 48.

Dantur quidem rubefacientia non acria, vt frictio et cucurbitulae, sed nec horum usus in inflammationibus subcutaneis tutus esse potest. Quamquam enim dici possit, arterias periostii atque cutis esse ramos vnius tunci, et sic fieri posse, vt, impetu fluidorum versus vnum ramum aucto, impetus versus alterum imminueretur. Ast hoc augmentum impetus fluidorum versus cutem haud diutius durabit quam ad ruborem usque cutis, sanguis enim in vasis haerens alienis, serosis nempe atque lymphaticis, non potest non tardius moueri quam serum vel lympha in iisdem naturaliter constitutis. Cum igitur omnis naturali tardior fluidorum motus inuoluerit obstruktionem, et omnis obstructio magis determinet fluidorum impetum in vasa lateralia, facile patet, tantum nocere rubefacientia rubore producto, quantum prodeesse videbantur quoisque vasorum resistentia minuebatur.

## §. 49.

Plerumque pars rubefacta tumef quoque: Cum igitur pars inflammata, sub cute rubefacta haerens, itidem tumeat, certum est, partem inflamatam a cute rubefacta magis comprimi. Videtur quidem talis compressio ideo salutaris, quia vasa vterius expandi adeoque dolores crescere nequeunt, ast quia eadem compressio fieri quoque affluxum versus partem inflamatam iniunere potest, quo inflammatione vel discutienda vel saltem suppurranda est, cum medicus gradum, quo salutariter

tariter partem inflamatam comprimere licet, scire, adeoque practice determinare haud valeat, semper du-  
bium manebit, num salutaris vel noxius effectus attra-  
hentium applicationem sit sequuturus. Ne dicam, fri-  
ctione, et magis adhuc cucurbitularum applicatione,  
dolorem augeri, et vascula inflammata rumpi, quia pars  
inflammata est admodum sensibilis et debilis.

## §. 50.

In atrophia quoque, ea intentione, vt sanguinem  
seu potius materiam nutrientem atque spiritus, quippe  
quorum decenti affluxu sit nutritio, versus partem con-  
tabescensem deriuuent cucurbitulas aliaque rubefacien-  
tia, itemque vesicatoria applicare solent. Si causa nu-  
tritionis, in parte quadam nostri corporis deficientis, in  
arteria dissecta et coalita haereat, frustanea erit attra-  
hentium applicatio, quia pars coalita iisdem non aperi-  
tur, et reliquae arteriae vix sensibiliter magis dilatan-  
tur, quam absque attrahentium applicatione forent di-  
latae. Siue enim resistentiam in extremis quibusdam  
vasis imminutam, quae in principio applicationis quo-  
rundam attrahentium adest, siue resistentiam auctam,  
quae ex sanguine in aliena vasa dalato oritur, (§. 48.)  
consideres, prius nullam plane arteriarum, praecipue  
maiorum, dilatationem efficere valet, immo contrarium  
potius statum infert; alterum non nisi tunc notabilem  
vasorum dilatationem efficere poterit, si magna cutis  
pars rubefacta erit, quod tamen medicus, ob inflammationis  
grauioris metum, quoquis modo euitare debet.

## §. 51.

Nerui, etiam ligati, non intumescent: Quamquam  
igitur

igitur ex experientiis probabiliter coneludi queat, ex  
irritatione maiorem fieri versus locum irritatum spiri-  
tuum affluxum, nunquam tamen tantus erit vt neruos  
dilatet, nisi insensibilem huius dilatationis assumere velis  
gradum. Ponamus iam aliqualem ex irritatione attra-  
hentium fieri vasculorum nerueorum dilatationem, haec  
tamen interdum tantum, si nempe nerui obstruetio re-  
cens sit et materia obstruens parum viscida, (quae  
conditiones vero in atrophia iam praesente locum non  
habent) obstructionem referare poterit, nisi forsitan  
sal acre rubefaciens, praecipue vesicantium, ad ipsum  
perueniat obstructionis locum, et materiam obstruen-  
tem resoluat.

## §. 52.

In vitroque ergo casu (§. 50. et 51.) aut manifeste  
inutilis est attrahentium usus, aut saltim, in obstruc-  
tione neruorum recenti, incertum est num salutaris sit se-  
cutorus effectus. Id tamen ex dictis clarum est, si me-  
dicus, in recenti neruorum obstrukione, ante quam  
manifesta atrophia adsit, reliquis praecipue frustra ad-  
hibitis remediis, cucurbitulas, vrticationes, frictiones  
vel vesicatoria adhibere velit, istum contra rationem  
nihil agere. Immo prudenter agit medicus si talia ad-  
hibeat, quia minimum stupidorum et malitiosorum me-  
dicorum atque vulgi euitat calumnias.

## §. 53.

Interceptio motus fluidorum maioris versus par-  
tem quandam nobilem, v. g. versus cerebrum vel ocu-  
los, rubefacientibus applicatis plane fieri nequit, quia  
rubefacientia sensibile fluidum non euacuant, proba-  
biliter

biliter potius euacuationem in isto loco minuant. Tam et si vero vesicantia excretionem in isto loco augeant ideo tamen motum fluidorum versus partes internas intercipere haud poterunt, quia, quantumcunque per vesicantia nuchae applicata euacuetur, haec tamen euacatio non fit ex vasis quorum fluidum dein ad cerebrum vel oculos defertur, ut cuilibet in anatomicis versato patet.

## §. 54.

Non quidem nego, motu fluidorum versus vnum locum aucto, iisque praecipue euacuatis, motum versus alium nostri corporis locum imminui. Omnis tamen effectus suae causae debet esse proportionatus. Cum igitur maxima attrahentium euacuatio per vesicatoria fiat, haec vero intra octo horas vix vnciam euacuent vnam, facile patet, tantam non esse hanc euacuationem ut imminutio sensibilis fluidorum versus alia loca inde oriatur. Tantum enim si valeret tantilla euacatio, maior longe effectus ab vrinae secretione, per spiratione insensibili et altii excretione iunctim sumtis, quae etiam tunc adhuc adsunt quando cantharides salutari cum effectu applicantur, expectandus foret, id quod tamen est contra experientiam. Attrahtentia ergo, interceptionis causa, absque ratione suffiente applicantur.

## §. 55.

Nec aliter sentiendum nobis videtur; si attrahentia reuulsionis adhibeantur causa. De rubefaciensibus enim stricte sic dictis minime probabile est, quod, tempore ruboris, euacuationem per cutem magis quam in statu naturali augere queant, quia vasa ferosa vel

Jym.

lymphatica rubra inter obstructa sunt referenda. (§. 48.) Vesicantia vero augent quidem euacuationem in loco applicationis, siue vero magnitudinem loci, siue quantitatem euacuati respicias, eamque cum totius massae sanguineae quantitate compares, facile patebit, si etiam impetum in ratione quantitatis euacuati humoris ad quantitatem massae sanguinisae imminutum posueris, vix fluidorum impetum, tempore 8. horarum, quod ad  $\frac{1}{2}$  imminui per vesicatorium posse. Ex tantilla vero imminutione reuulsionem cum effectu sensibili fieri posse quis probabit.

## §. 56.

Spirituum maiorem motum per attrahentia produci ex eo patet, quia dolor, vel saltim perceptio naturali maior, per eadem producitur. In omni igitur casu, ubi spirituum motus est excitandus, adhiberi possunt, modo plethora non adsit, haec enim per rubefacientia non afferatur, maiori vero excitato spirituum motu stasis noxiā efficere potest. Quanquam rubefacientia etiam absque noxa omiti possunt, parum enim et lente agunt, vnde, experientia teste, tam in apoplexia quam in syncope et lipothymia, raro iuuant.

## §. 57.

Minime tamen negamus, vesicatoria tam in statu humorum viscido, quam in fientibus et ad inflammacionem tendentibus viscerum internorum, etiam cerebri obstructionibus saluberrimos praestare effectus. Cum igitur salutares hi effectus neque euacuationi, neque interceptioni, nec humorum reuulsioni per attrahentia tribui queant, (§. 52. ad 54.) alio adhuc, quamvis insensibili, modo ut agant vesicatoria necesse est.

D 2

## §. 58.

## §. 58.

Dubitari nempe nequit, sal acre cantharidum subtilissimum alcalico sulphureum, quamvis cuti tantum adplicetur, massae sanguineae sese miscere, dum nempe per lympham, in vasis excretoriis haerentem, ad vasa venosa vsque penetrat, cum fluidis venosis ad cor redit, et sic toti tam massae sanguineae miscetur, quam ad locum peruenit obstructionis. Ardor quoque vrinae, qui, in subiectis tenerioribus, minori visciditatis humorum gradu praeditis, vsum vesicantium hanc raro sequitur, penetrationem salium cantharidum ad humores et viscera interna abunde a posteriori probat.

## §. 59.

Salia haec, quia sunt alcalico sulphurea, viscidas et praecipue sulphureas massae sanguineae partes resoluunt, quo facto omnes secretiones in vasis apertis augmentur, partes noxiae e massa sanguinea educuntur, nouae ergo viscidae partes nec ad locum obstructum, vbi nempe inflammatio est in fieri, accedere, nec stagnare queunt. Prima ergo materia stagnans, cum nondum sit compacta nec fortiter incuneata, a lympha accedente fluida successive resolutur, quam resolutionem forsitan quedam saline cantharidum particulae iuvant, resoluta vero in vasa venosa propellitur. Ex quo simul patet, si nimia sit humorum visciditas, vel nimis materia stagnans impacta, vel vis vitae nimis debilis, nullum salutarem effectum a cantharidibus expectandum esse, immo fieri posse, vt salia acria, viscido aegroti immersa, in vasibus subtilibus stagnent, ea irritent, et symptomata periculosa gradu et numero augeant.

## §. 60.

## §. 60.

Videtur quidem eundem effectum a cantharidibus interne propinatis expectari posse, si exposito modo, non vero reuelando vel euacuando agerent. Sed facile patet tutiorem longe esse cantharidum vsum externum quam internum, quia 1) cutis inflammatio; si quae producatur, semper minus periculosa est quam interna in ventriculo vel intestinis; 2) non tam facile, in cute minus sensili et magis robusta, inflammatio excitatur quam in partibus internis; 3) si quae excitetur inflammatio in cute, ista cito auerti potest, quod in internis partibus non, nisi maximis adhibitis remediis, effici potest; 4) denique vix fieri potest, vt externe adplicati cantharides concentrato sale in partes humidas vel solidas internas agant, cum a) parti cutis paruae adplicantur, b) non toti, sed ex parte tantum soluantur, c) salutio non magis concentrata esse queat quam quatenus ex ipsis nostri corporis fluidis fieri potest, cum interne adplicati cantharides, sub quacunque forma adhibeantur, magis concentrati ad ventriculum et intestina peruenire queant, quam si externe tantum adplicantur, d) non omne, quod ex cantharidibus soluitur, intra corpus deferatur, quia magna lymphae pars sub cuticula in vesica colligitur, cum, quod in ventriculum defertur, fere omne in vasa lactea et hinc in sanguinem deferatur.

## §. 61.

Ex eodem, §pho 59. exposito, agendi cantharidum modo patet, perinde esse, siue idem nuchae, collo, in interscapulo, femoribus vel suris adplicantur, semper enim eodem modo sale orundem massae sanguinae commiscetur, intrando nempe in sanguinem venosum; et

tota differentia in distantia loci applicationis a corde consistit, quae ad summum, ratione temporis effectus, in tempore trium vel quatuor minutorum primorum consistet.

§. 62.

Hoc denique ratione praxeos addere liceat. Semper, vna cum cantharidibus, si siccitas corporis vel viscedo humorum nimia adsit, humectantia et demulcentia applicanda esse, ne salia cantharidum concentrata fieri queant, et ne stagnatio et irritatio ab iisdem sit expectanda, (§. 59.) sed potius ab humido assumto diluentur, et diluta non nisi in fluida agant.

§. 63.

Cum vesicantia nec reuellendo nec intercipiendo salutarem suum edant effectum, et euacuatio quam praestant parua sit, vtique quaeri potest, an quis salutaris effectus ab eo sit sperandus, si consolidatio istius ulceris superficiarii, a cantharidibus inducti, per aliquot dies impediatur, i. e. vlcus apertum seruetur. Id quod omnino affirmamus. Quamquam enim resoluendo potissimum agant canthrides, non tamen affirmari potest, omne semper quod crudum est per canthrides ita resolui ut per naturalia vasa transfire queat. Cum igitur per vasa ulcerum erosa, quippe minus resistentia, multae crudae partes excernantur, quae per vasa naturaliter tantum aperta transfire haud potuissent, vlcus quoque a cantharidibus excitatum, euacuando partes crudas, salutare adhuc esse potest.

F I N I S.

Zieh



\* \* \* \* \*

Zieh hin, mein Freund! ins Vaterland, Dein  
Fleiß verspricht Dir selbst Berehrer,  
Drum geh, und übe Deine Kunst zum Preis und  
Ruhme Deiner Lehrer.

Dem Herrn Candidaten stattete hiemst seinen aufrichtigen Glückwunsch zu der wohlverdienten Ehre des medicinischen Lorbers ergebenst ab

Desselben  
aufrichtiger Freund und Diener

Adolph Friedrich Hamberger,

Philos. et Medic. D. OPPONENS.

Freund


\* \* \*

**S**treund, wünsch ich Deinem Fleiß ein angemessenes Glück;

So muß nach kurzer Frist ein Kind von holdem Blick,  
Ein Engel an Gestalt, ein Mensch an Thun und Wesen,  
Als liebster Patient in Deiner Cur genesen.

Dem Herrn Candidaten empfiehlet sich glückwünschend  
zu beharrlichem Wohlwollen ein ergebenster  
Freund und Diener

M. J. B. C.



**GEORGII ERHARDI  
HAMBERGERI**  
FACULTATIS MEDICAE SENIORIS  
ET H.T.  
**D E C A N I**

---

**PROGRAMMA AVSPICALE  
SECUNDVM  
DE.**

**AERE CORPORIBVS  
INCLVSO**

DISSERTATIONI SOLENNI

DE  
**ATTRAHENTIBVS**

*CLARISSIMI MEDICINAE DOCTORANDI*

**IOH. CHRISTIANI GRAFF**

PRAEMISSVM.

---

IENAE LITTERIS RITTERIANIS.



\* \* \*

**S**IC TVM est priori programmata, vt eo distin-  
ctius mutationes bullularum, quae durante  
solutione corporum solidorum oriri solent,  
obseruari queant, solutiones in vase vitro  
cylindrico alto quidem sed angusto, et infe-  
rius basi concava hemisphaerica praedito, initituedas  
esse. Longitudo vasorum, quae ad experimenta, in sequen-  
tibus proponenda, adhibuimus, vnius est pedis, diameter  
vero quatuor, quinque vel sex linearum.

Ratio huius altitudinis maioris et diametri paruae est,  
ne nimia sit menstrui copia, adeoque ne sumtus sint nimii,  
quamuis totum fere vas menstruo sit repletum. Bullulae  
quoque, quae per sex, octo vel decem digitos in menstruo  
adscendere debent ante quam ad supremam menstrui acce-  
dant superficiem; si suam, durante adscensu, mutant magni-  
tudinem, eandem maiori mutant gradu, adeoque tam ex hac  
ratione, quam quia per longius adscendunt tempus, muta-  
tio distinete magis obseruatur. Fundus vasis sit hemi-  
sphaericus, ne, fluidum si sit corpus soluendum, diffluat  
maioremque sic acquirat superficiem. Haec enim si ma-  
gna sit, menstruum corpus soluendum in pluribus simul  
agreditur locis; multae igitur simul oriuntur bullulae, aliae  
que soluti corporis particulae simul copiose adscendunt. Tur-  
batur sic menstruum et opacum fit, quia, qualiacunque sint  
corpora quae inter se miscentur, modo sint grauitate speci-  
fica inter se heterogenea, nec in minutissimas omnemque  
sensum fugientes partes diuisa, semper mixtum opacum  
eua.

tentam augere queat, vnicet vero compressio externa vna cum aëre aufertur, i. e. resistentia tantum imminuitur.

Si campana sit parua, paululum tantum vase, quod continet fluidum, maior, ipsum vas totum fluido repletum, cylindrus antliae magnus et epistomia tunc demum aperiantur, quando embolus cylindri quoisque licet est protractus, momentanee fere campana ab omni aëre contento euacuantur, adeoque pressio aëris in superficiem fluidi momentanee et tota fere aufertur. Obseruamus tunc, si aqua feruida sub campana haeret, momentaneum maiorum bullularum ortum, tantum quidem ut aqua magno impetu et celeritate ex suo profiliat vase, ast ipsa ista nimia bullularum copia et in momento fere fiens insignis expansio, omnem distinctam impedit obseruationem.

Eligatur ergo potius campana sextuplo vel octuplo minimum vase, quod continet aquam calidam vel spiritum vini, etiam frigidum, maior. Ipsa campana, quoque relativa ad cylindrum antliae, non sit admodum parua, vel saltim embolus in cylindro lente protrahatur, et epistomia primo statim protractionis emboli momento sint aperta, sic enim lente aér ex campana prodit, eius elasticitas et inde pendens aquae sub campana haerentis compressio successiue minuitur, et sequentia distincte obseruantur phaenomena. Durante prima, vel etiam secunda aut tertia, emboli protractione, obseruantur bullulae admodum paruae, copiosissimae quidem, lente tamen adscendentibus et durante adscensu magnitudine crescentes, quae tamen superficiem fluidi haud exagitant. Sequenti suetione maiores euadunt, magis durante adscensu magnitudine crescunt, celerius adscendent et superficiem aquae exagitant.

Si continentur suetiones omnia dicta crescunt, eosque ut aqua vere ebulliat. Haec tamen ebullitio ultra tres vel

euadit. In fluido vero opaco nulla bullula distinete videri, aut eius mutatio obseruari potest. Ne dicam, sola adscendentium particularum copia confundi obseruatorum, quia omnes simul obseruare, aut unam vel alteram a reliquis similibus distinguere non valet.

Celeritas quoque adscensus obseruationem dubiam reddit. Quo plures vero simul soluuntur et adscendunt particulae atque bullulae, eo maiori gradu tollitur aequilibrium menstrui naturale, et eo celerius omnia adscendunt.

Ex eadem ratione, ne nempe superficies sit major et ideo plurium particularum simultanea fiat solutio, corpora soluenda nec lamellata, nec contusa, nec puluerisata, immo ne in scobem quidem sint redacta, nisi scobs sit crassior et e duriore corpore, v. g. ferro, parata, aut menstruum sit debile. Crēscunt enim corporum superficies tanto magis, in quanto minores partes sunt diuisa; quo maior vero corporum soluendorum est superficies et quo minora ipsa sunt corpora soluenda, eo copiosior et celerior eorundem fit resolutio atque solutio.

Id quoque commodi ex figura vasis et paucitate adscendentium bullularum oritur, vt, reclinato paululum vase, si non omnes, saltim plurimae adscendentium bullularum ad istos parietes vasis adscendant, qui spectatori sunt proximi, soluendum corpus tamen e suo discedere nequeat loco. Sic simul evitatur, ne, radiorum per vitrum obliquum transit, et inde orta magna refractione, magnitudo adscendentium bullularum optice mutetur, et sic fallaciae oriuntur opticae. Ut vero ordine procedamus a simplicissimis incipiamus phaenominis, iis nempe, quae fluida pellucida ut aqua, spiritus vini, olea, sanguis etc. sub ancilia exhibent, hisce enim corporibus nihil miscetur, adeoque nihil additur, quod vel nouam vim iisdem inferre, vel iam con-

vel quatuor antliae suctiones raro continuat, quietum potius euadit rursus fluidum, et nullae amplius adscendunt bullulae, quotiescumque embolus dein protrahatur. Saepe tamen vna vel altera adhuc oritur bulla, quae tamen adeo subitanee oritur et increscit, ut locus, ubi oritur, obseruari nequeat, et interdum diametro vnius digiti gaudet. Rationes horum phaenomenorum sequenti dabimus programmate. Iam doctorandi nostri doctissimi et clarissimi

## IOH. CHRISTIANI GRAFF

potiora vitae laudabiliter gestae momenta, more apud nos recepto, sunt exponenda.

Patrem is veneratur IOHANNEM CHRISTOPHORVM GRAFF, antehac Sereniss. Principis Schwarzburgo Sondershusani, in vico Breitenbach chirurgum prouincialem, iam vero, in pago Lendershausen, ad Francorum Regium montem sito, artem suam exercebantem, atque Matrem ANNAM ELISABETHAM, viri probi atque honesti IACOBI GEILINGII, incolae Sondershusani, filiam natu maximam. Ab hisce parentibus die II. April. ann. M DCC XXII, Lendershusae in lucem est editus. Idem optimi eius Parentes nihil omiserunt, quod ad filii bonam educationem, ratione tam pietatis quam artium liberalium, pertineret. Prima hinc religionis christiana principia ex ore b. WOLFGANGI GÜNTHERI, philosophiae bacalaurei et scholae Breitenbacensis collegae, haust. Ab hinc ad scholam, quae in dicto Regio monte franconico floret, missus, et a M. JOHANNE GASPARO RITTWEGEN hospitio exceptus, per septennium eiusdem informatione in bonarum litterarum studio usus est. Illustrer dein Gymnasium Casimirianum, quod Coburgi floret, adiit. In eodem Praeceptores veneratur viros summe reverendos, consultissimos, amplissimos

et

et excellentissimos b. IOHANNEM GERHARDVM MEVSCHEN Superintendentem, b. IOHANNEM CONRADVM SCHWARTZ Theologiae Doctorem et Gymnasii Directorem, b. VDALRICVM TRESER REUTER Directorem Adjunctum, THEODORVM BERGER Iuris Doctorem, BONIFACIVM HENRICVM EHRENBURGER Mathematum Professorem, IOHANNEM MARTINVM CHLADENIVM Directorem Adjunctum, itemque IOHANNEM CHRISTOPHORVM SCHVBART et IOHANNEM CHRISTOPHORVM LINCK. Maxime vero laudat et pia mente colit viri celeb. et experientissimi IOHANNIS SEBASTIAN ALBRECHTE, Physices Professoris et Medicinae Doctoris, in se merita, hic enim latenter in nostro stimulum ad artem saltatatem excitat, hunc CORNELII CELSI libros explanantem, *physicam theoretico experimentalem, botanicam, historiam rerum naturalium, Institutiones Ill. HELSTERRI et pathologiam generalem* tradentem audiuit, omniaque amoris, propensio- nis et patrocinii signa erga se expertus est.

Triennio ibidem peracto, ad academica studia bene praeparatus, anno M DCC XLV. fasces academicas iam secunde vice gerente Rectore Magnifico ENGAVIO, nostras adiit Musas.

Hic amplissimi SCHUBERTI, iam in Academia Iulia Theologiae Doctoris et Professoris celeberrimi, *logicas praelectiones*, dein, decenti tamen ordine, venerabilium Facultatis nostrae Seniorum, nunc beatorum, nempe IOHANNIS ADOLPHI WEDELII et SIMONIS PAVLI HILSCHERI *lectiones practicas* audiuit.

Gratisima quoque mente recordatur insignis studio- rum suorum incrementi, quod ex Illustris KALTSCHMIDII tam *lectionibus practicis et chirurgicis*, quam artifi- ciosissimis *sectionibus anatomicis* multorum cadaverum huma- novrum,

norum, itemque ex eius operationibus chirurgicis, tam in cadavere masculino, quam in viuis hominibus, institutis hausit. Excell. LOEBERVM in aphorismos BOERHAVII commentantem et experientissimum D. IOHANNEM WOLFGANGVM WEDELIVM, botanicam exponentem, magno cum fructu audiuit. Filium quoque meum D. ADOLPHVM FRIDERICVM HAMBERGERVM, sequutus est, siue, tanquam prosector, praeparata conficeret anatomica, siue artem obstetriciam exerceret.

Meis quoque lectionibus in *Mathesin puram et adplacitam, physicis, botanicis, anatomicis, chirurgicis, physiologicis, pathologicis, semioticis, practicis, de materia medica, formula*rum *praescriptione et medendi methodo nostrum magna diligentia interfuisse*, mihi in *laboribus chimicis indefessum adstituisse*, meque *tria cadauera humana publice secantem et aliquot sectio*nes *iudiciales instituentem vidisse*, testor.

Omnibus sic laudabiliter peractis, circa initium huius anni modeste receptionem in numerum candidatorum a facultate nostra petiit, cum igitur in duobus examinibus tam se gesserit qualem optauimus, concessa ipsi est licentia suam *de attrahentibus*, sub meo praesidio, die XIX. Aprilis defendendi dissertationem inauguralem.

Huic actui ut Rector Academiae magnificus, Patres Academiae venerandi, Hospites omnium ordinum honoratissimi et generosissimi ac nobilissimi Commititones, exoptata sua praesentia decentem splendorem benevolie conciliare velint, obseruantur collegii mei nomine oro atque contendō. P.P.d. XIII. Aprilis M DCC XLIX.

(L. S.)

65. 684. 877.

17/3/98